



Disputatio juridica inauguralis de praesumptionibus

<https://hdl.handle.net/1874/347225>

12.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
PRÆSUMPTIONIBUS.

Q V A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,
S.S. Theologiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Praeconis,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè, & legitimè consequendis.

Eruditorum examini subjicit,
MATTHÆUS STILTE, Goesa-Zeeland.
A. D. II. Jun. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Ioc LXXXIX.

*Amplissimo, Spectatissimoque
V I R O,*

D. ABRAHAMO
H APPART, J. U. D.
Civitatis Gœsanæ Secretario
olim fidelissimo , nunc vero
ejusdem civitatis consuli gra-
vissimo dignissimo , avuncu-
lo meo propter innumera in
me collata beneficia nun-
quam non honorando & cum
submissi animi reverentia ac
obsequio æternum profe-
quendo.

Me Disputationemque hanc Inauguralem

D. D. D.

MATTHÆUS STILTE,
AUCTOR & RESP.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

PRÆSUMPTIONIBUS.

THEISIS I.

Prosumere multis locis varie accipitur: aliquando significat, prius sumere, & ante capere, ut in *l. 1. C. de secund. nupt.* nonnunquam *preoccupare*, ut apud Rhetores, qui præsumptionem vocant, cum id, quod in adversarii causa, vel judicis opinione nobis contrarium esse, aut fore arbitramur, præoccupamus dicendo, ac bonis rationibus dissolvendo *Quintil. lib. 8.* interdum denotat idem quod *putare*, ut in *l. 7. ff. de in lit. jurand.* nec raro etiam sumitur pro *præagire*: *conjicere*, *cogitare*, seu *divinare* aliquid in dubio *Val. lib. 1. cap. 5.* vel denique, ut nostro casu, pro *credere*, aut *opinari* aliquid antequam de rei certitudine ac veritate constat: hinc præsumptio dicitur legis opinio, quâ lex aliquid pro vero præsumit, & ante capit quam probetur.

A 2

II. Dif-

DISPUTATIO JURIDICA

11

Differt præsumptio à probatione : probatio enim est rei dubiæ ab actore vel reo coram judice facta legitima fides. Præsumptio vero est fidei quædam ex probabilibus argumentis facta induc̄tio & collectio. Distinguitur etiam à fictione: quæ commentum est ad conciliaadā æquitatem cum ratione & subtilitate juris ; quæ licet naturam imitetur veritatis §. minorēm inst. de adopt. non tamen consonat : singimus quippe ea, quæ falsa esse scimus, ut in fictione postliminii , & legis Corneliae. Exempla vide in l. 4. §. ult. ff. de fidej. §. 3. inst. quib. mod. pat. pot. sol. l. 1. C. de donat. l. pen. & ult. ff. de stat. hom. Præsumimus ea , quæ vera esse arbitramur, ducti probabilibus argumentis: fictio legis dispositio est ; præsumptio tantum legis opinio ; illa valet ut legis definitio, ideoque adversum probare non licet; hæc tantum ut probatio, ideo contra eam probari potest , excepta juris & de jure præsumptione , quæ fictionis vim obtinet, nisi quod ea sit contra veritatem, præsumptio vero juris & de jure secundum id quod verum est, vel vero simile.

III.

Triplex vulgo statuitur præsumptio. Prima & quidem firmissima est præsumptio *Juris & de jure*. quæ talis est præsumptio, quâ lex ex argumentis vero simillimis quid præsumit, & præsumpto, tanquam rei compertæ & exploratæ plenissimam fidem tribuit, ita ut non admittat probationem in contrarium.
l. antiqua C. ad SCrum Vell. l. 53. ff. de R. Jur. l. 51. ff. de const.

INAUGURALIS.

dicit. indeb. Verbi Grat. lex præsumit post lapsum biennii ab emisso chyrographo pecunia numerationem verè intercessisse, quamvis ille qui emisit, liquido demonstrare possit, nullam se accepisse pecuniam. Interest enim reip. tandem scripturæ fidem haberi. Neque damnum censembitur, quod suā culpā sentiat l. 203. ff. de R. Jur. præterquam quod Tacitus alibi eleganter ait, *omne magnum exemplum aliquid ex iniquo babeat, quod utilitate adversus omnes rependitur.* Est & hæc juris & de jure species, quâ lex præsumit sententiam, quæ in rem judicatam abiit, veram esse, neque contrarium probari patitur, ob eandem scilicet utilitatem publicam, quæ flagitat, litium finem. Huic similis quoque est ea species, quâ lex jusjurandum ad delationem adversarii in judicio præstum; & confessionem in judicio factam, veram habet; quandoquidem jusjurandum non minorem firmitatem quam transactio, confessio judicia lis candem cum re judicata, vim habeant.

I V.

Secunda præsumptio est *juris tantum*. Quæ non est res prædicata, respuens probationem in contrarium, ut illa superior, neque propriè censembitur probatio, quia ea percipitur sensu; uti visu, auditu; præsumptio vero per discursum rationis colligitur ex facti circumstantiis: est tamen loco probationis, habetque ejus effectum, ita ut onus probandi in adversarium, contra quem militat suspicio; rejiciat. l. 3. §. 23. 25. ff. de probat. l. 2. 3. ff. de paſt. l. 51. ff. proſoc. eoque considerato effectu dicitur liquidissima probatio. l. 74. ff. de legat. l. l. *judicia C. de rei vind.* scilicet quamdiu contrarium non appetet, aut probetur. l. ſive poffideris C. eod. Veluti si diu quis cohabitavit cum uxore, præsumitur illa ab eo cognita: Cancellatio chyrographi præumptionem factæ solutionis

6 DISPUTATIO JURIDICA

parit. Similiter pater materve si uno incendio, naufragio, vel simili ruina cum filio perierint, impuberis filio mater & pater, pubes vero matri & patri supervixisse filius creditur. *l. 22. ff.*
de reb. dub. sed quia ita certa, & extra omnem dubitationis aleam non est hæc juris præsumptio, dicimus legem has similesque præsumptionum species quas retuli, ab eo petere, quod ut plurimum, atque etiam secundum naturalem rerum statum contingit.

V.

Tertiam & ultimam præsumptionem *hominis vulgo* vocant, quæ à superiore, quam juris diximus, vix differre videtur: utraque enim ex facti circumstantiis, rebusque vero similibus desumpta pro vero habetur, donec contrarium apparuerit; nisi fortè in eo, quod lex civilis illius apertam faciat mentionem, hujus non item. Hæc quamvis lege definita non sit, est tamen justa, & rationi conveniens, & vero similis est conjectura ex circumstantiis scilicet, & rei qualitate apparenti, aut probatâ, deductâ. Vel ut clarius definire mihi videtur *Alc. tract. de præsumpt. in princ. part. 3. num. 1.* probabilis est conjectura ex certo signo proveniens, quæ alio non adducto, pro veritate habetur. *l. ea quidem in princ. C. de accusat.* illa igitur sine aliis adminiculis fidem solidè non facit, sufficit tamen aliquando ad delationem jurisjurandi, vel in supplementum probationis, aut ad suspicionis purgationem. Ut cum præsumitur contra aliquem hominem propter malam famam: contra quam tamen præsumptionem admittitur recte probatio in contrarium. Hanc præsumptionem, quam *hominis* appellavimus, rectius *judicis* legendam esse ait Bachovius; quia, inquit, judex ex conjecturis, & rationibus, in alterutram partem jure moveri potest, alterius autem privati hominis præsum-

INAUGURALIS. 7

sumptio, in hac materia, ubi de probando, condemnando,
aut absolvendo agitur, nulla est.

V I.

Cæterum non omnes præsumptiones parem habent arguen-
di vim, aliæ enim leviores, aliæ fortiores sunt: fortiores
non probant quidem, sed onus in adversarium probandi trans-
ferunt l. 6. ff. de his q. sunt sui vel alien. jur. exceptis solum-
modo iis, quas juris & de jure vocavi. Prædia libera in du-
bio præsumuntur; & allodialia, non feudalia, tributis, aut
servituti obnoxia; eique, quid dicit, probandi incumbit ne-
cessitas. l. 2. ff. de probat. Vivere quisque quamdiu absens est,
non mortuus præsumitur Nov. 107. cap. 11. & nisi constet de
morte, quamvis quis quæsitus, & ignoretur ubi sit, de mor-
te non creditur d. Nov. vita hominis usque ad centum annos
præsumitur. Ut appareat ex l. 56. ff. de usufr. l. ut inter 23. §. 1.
C. de sacro. eccl. verum quidem est, authores harum legum
regulariter hunc vitæ terminum homini non præscripsisse, sed
longevo: nam, inquit, Cajus in d. l. 5. 6. is finis vitæ est lon-
gævi hominis. Tamen cum impossibile non sit, ut homo cen-
tum annos vivat, ideo hoc casu ei, qui dicit mortuum, non
ei, qui dicit vivere, ut probet, necesse est. Bonus unus-
quisque præsumitur, quoad sit, aut existat, qui probet eum
malum. l. non omnes §. à barbaris ff. de remil. Leviores præ-
sumptiones probandi onus in adversarium non transferunt qui-
dem, sed quale quale præbent indicium: v. g. liberam esse,
cujus pater liber est l. 10. C. de probat. ingenuum, cuius fra-
tres ingenui. l. 17. eod. Donatio magis præsumitur inter
vivos, quam mortis causâ facta l. Seja: ff. de donat. mort.
& magis mortis causâ, quam inter vivos, si vel ab ægroto,
vel mortis mentio in eâ hat. Gloss. ad l. pen. C. de donat. more.

caus,

8 DISPUTATIO JURIDICA

causa, sic si oriatur incendium præsumitur inhabitantium culpa *l. 3. §. 1. ff. de off. pref. vigil.* sed quia levis adeo hæc est præsumptio, non, nisi hisce casibus hujus aut illius culpa probetur, facienda est condemnatio. *Gail. 2. obs. 21.*

VII.

Uti non eandem præsumptiones vim habere demonstravimus, ita nec eosdem semper habent effectus: alius sepe in civilibus, alius in criminalibus est effectus *l. ult. C. de probat.* ex præteritis ad præsentia & futura rectè ducitur argumentum: sed in civilibus id fortius, quam criminalibus procedit; ibi enim clarissima documenta requiruntur *d. l. ult.* nec semper hoc erit verum, qui semel fuit malus, semper malus præsumitur. *l. 7. §. 3. ff. de accus.* qui semel furatus est, si iterum furti postuletur, præsummetur quidem fur, sed præsumptio nimis est levis, si nihil aliud concurrat, quam ut ideo condemnari possit *d. l. ult.* sic etiam dicendum singulas præsumptiones non probare, sed plures conjunctas fidem facere posse. *l. 3. §. ejusdem ff. de iei.* plures imperfecte probationes conjunguntur, ergo etiam plura præsumptionum genera ita conjungi possunt, ut quæ singula non probarent, ea conjuncta fidem faciant, uti vulgo dicunt, *quæ non profundunt singula, multa juvant.* *l. 37. §. 1. ff. de rit. nupt.*


VIII.

Quoniam jam de vi & effectu nonnulla in precedentibus dixi, non incommodè questionem hanc referri huc posse mihi videtur, an scilicet sententia justè feratur ex præsumptione? & di-

& dicimus, judicem non tantum de ea, quæ est juris & de jure, qualis est instar plenæ probationis & viritatis, sed & de eâ, quæ juris tantum est, sententiam ferre posse: hæc enim probationis vim obtinet, quatenus non evertitur contraria probatione: unde ut ex plena probatione, ita & ex præsumptione, quæ est instar plenæ probationis, sententia rectè fertur. ex. gr. habetur pro convicto, qui reus criminis non capitalis delatorem corrupti l. ult. ff. de prævar. reus falsi est tabellio, non observans solemnitates quæ requiruntur in testamentis, et si dolo non fecit, perinde ac si fecisset l. 29. in fin. C. de testam. probari, fateor, dolus debet apertissimis documentis l. 6. C. de dolo. Sed dolus hic præsumptus est, cum lex quid habet pro dolo. d. l. 29. in fin. Sic si maritus aliquem adulterii suspectum, post trinam denunciationem, convocatis tribus testibus fide dignis, colloquenter cum uxore invenerit, quamvis forsitan non sit, pro adultero habetur Nov. 117. Cap. 15. quod si autem certa non sint indicia, sed ius sub sit aliqua hæsitatione, in criminalibus non videtur judex procedere posse ad condemnationem, sed absolvendum esse reum, cum in dubiis rei partes debeant favorabiliores esse l. 38. ff. de re jud. & præstet nocentem absolvere, quam innocentem damnare. l. 5. ff. de pen. l. 47. ff. de obl. & Aet. requiruntur in criminalibus probationes clarissimæ, & documenta omni exceptione majora l. uli. l. 22. C. ad l. Corn. de fals. l. 9. C. de his q. vi. met. caus. Ut si Titius occisus sit, cum stricto & adhuc sanguine madente gladio visus & deprehensus est circa Titium Sejus, non tamen sequitur à Sejo Titium interfectum: & sic quæ certissima sçpe videntur, multa sunt, quæ evertunt. Solet tamen jure Canonico in tali casu adjuratio suspecto injungi, & alia cautio adhiberi, ut de veritate possit constare c. litteras 14. x. de præsumpt. non abstente l. absentem infra de pen. sensus enim illius legis est, non esse damnandum aliquem ex suspicionibus levia signa continentibus. Aliquando etiam indicium ad torturam facit. Sed moribus in præsumptioni-

10 DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

ptionibus delicti presumptivè probati pena mitigatur , quia licet non omnino reus innocens videatur , vera tamen criminis probatio non est . Ut videre est apud Menoch. lib. I. pref. c. 97.



C O.

COROLLARIA.

I.

Filius familias non potest renuntiare
SCto Macedoniano.

II.

*Qui credit in refectionem navis, non
habet tacitam Hypothecam.*

III.

*Legatarii possunt esse testes in eo testa-
mento quo legatum ipsis relictum est.*

IV.

*Quarela inofficii testamenti est actio
præparatoria.*

V. Caw-

COROLLARIA

v.

*Cautio usufructuaria à testatore remitti
nequit.*

V I.

*Dolus dans causam contractui b. f. fa-
cit eum contractum ipso jure nullum.*

V II.

*Negotiorum gestor tenetur de culpa le-
vißima.*

